

Bibliothèque numérique

medic@

**Guersent, P. L. B.. - De haemostaticis
chirurgicis**

1830.

Paris : Ex typis

Huzard-Courcier

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x04](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x04)

5

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM.

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,
INSTITUTA ANNO 1830.

DE HÆMOSTATICIS CHIRURGICIS

THESIS.

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, competitorum disputationibus subjectam tueri conabitur,

DIE JANUARIJ ANNO 1830,

P. L. B. GUERSENT,

DOCTOR CHIRURGICUS, ADJUTOR CLINICÆ CHIRURGICÆ FACULTATIS MEDICÆ
PARISIENSIS.

Principiis obsta.....



PARISIIS,

EX TYPIS HUZARD-COURCIER, *viâ dictâ* DU JARDINET, N° 12.

1830

0 1 2 3 4 5 (cm)

JUDICES DISPUTATIONIS.

Præses..... Doct. DELENS.
RICHERAND.
BOUGON.
DUPUYTREN.
DESORMEAUX.
ORFILA.
LISFRANC.
BAUDELOQUE.


COMPETITORES.

Doct. MAINGAULT.	MARÉCHAL.
COLOMBE.	LAUGIER.
SANSON aîné.	GUERSENT.
DELMAS.	GINIEZ.
HALMA-GRAND.	THIERRY.
BOYER.	VIDAL.
JOBERT.	BÉRARD jeune.

1830

ANTILOQUIUM.

THESIS.



Structura vasorum sanguiferorum.

Ea quæ mihi sorte obtigit quæstio, amplissimam complectitur materiam quam brevitatis causâ, stylo aphoristico et præpositionibus generalibus, quantum in me erit, enodare aggrediar, re nullâ tamen prætermissâ quæ ad argumentum dilucidandum inserviat.

Primo summatim exponam structuram vasorum sanguiferorum, deinde remedia hæmostatica sub novem capitulis comprehensa indicabo, tandem ad generaliora veniam.



RICHARD
BOCCON
DUMETREN

Et quæ nihil sorte oblitit, amplissimam complectitur materiam quæ prævitæ causæ, stylo aphoristico et propositionibus genericis, quantum in me erit, enodare aggrediar, re nulla tamen pretermittens quæ ad argumentum elucidandum inserui.

Primo summam exponam structuram vasorum sanguiferorum, deinde remedia hæmostatica sub novem capitulis comprehensa indicabo, tandem ad generatiora veniam.

THESIS.

Structura vasorum sanguiferorum.

Vasa sanguifera (arteriæ et venæ) in truncos, ramos, ramulos, tandem vasa capillaria multifarie dispartita per totum corpus diffunduntur. Per arterias sanguis a centro ad peripheriam, a pulmonibus ad cor deportatur, per venas ad cor revehitur.

Arteriæ cursum sat certum et constantem habent; formam cylindricam æmulantur, earum diametro ab unciâ unâ ad centesimam lineæ partem et ultra variante; vim elasticam habent, secundum longitudinem et latitudinem, eo majorem quo tubulus arteriosus exilior evadit. Tribus membranis, iisque vasis minimis instructis, contextuntur. Membrana *externa* seu cellulosa firmitatem variam habet; *media* seu fibrosa, colore subflavo, interdum cinereo, insignita, fibris circularibus superpositis essentialiterque elasticis, compingitur; *interna*, membranæ serosæ adinstar, levigata, sub minimâ tractione, distrahitur.

Quævis arteria imprimis apud juvenes secundum longitudinem facile extenditur. Membrana tamen cellulosa majori extensibilitate est prædita, aliæ vero membranæ parem habent extensibilitatem.

Sub diuturnâ compressione arteriarum parietes, sibi invicem appositi, inflammari et coalescere possunt.

Sub constrictione circulari per ligaturam, membrana externa corrugatur; interna vero et intermedia rumpuntur et vi tonicâ sursum relevatæ lumen vasis obturant.

Arteriarum parietibus compressis per forficulam dentibus rotundis instructam, membrana externa manet integra, aliæ vero membranæ rumpuntur.

Per *torsionem* eadem membranæ, disruptæ et retortæ, ad interiora vasis recurvantur, salvâ pariter membranâ externâ.

Per adstringentia remedia arteriarum minimarum orificia angustata obliterari possunt.

Idem evenit per caustica, escharræ adminiculo.

Venæ quæ sanguinem ad cor revehunt, dividuntur in venas profundas et superficiales : hæ subcutaneæ dispositionem variam habent, illæ vero arterias comitantur eodem fere cursu ; omnes, sub cylindricâ formâ parietibus constant tenuioribus quam arteriarum, tribusque membranis contextuntur, quarum *externa* cellulosa, *media* fibris longitudinalibus parum extensibilibus composita, *interna* levigata valvulis circulationi inservientibus instructa.

Sub compressione diurnâ venarum parietes coalescere possunt, inflammatione præviâ.

Secundum longitudinem extensæ parum elongantur, *tractioni* breviter cedunt, tribus membranis una eodemque loco disruptis.

Sub torsione eadem membranæ modo æquali cedunt, eodemque loco pariter rumpuntur.

Adstringentia et caustica in venarum æquè ac arteriarum parietes agunt.

De Hæmostaticis chirurgicis.

Omnia remedia quæ sanguinis effluxionem prævertere, compescere, et cohibere valent, *hæmostatica* dicuntur, ea quæ chirurgiæ arti specialiter inserviant *hæmostatica chirurgica* nuncupantur.

Enumeratio casuum chirurgicorum in quibus hæmostatica sunt necessaria.

1°. Arteriarum affectiones et læsiones :

Hæmorrhagiæ	{	spontaneæ, activæ, passivæ,
		accidentales traumaticæ, seu symptomaticæ,
		truncorum,
		ramorum,
		ramulorum,
Anevrysmata	{	capillarium ;
		vera aut spontanea,
		falsa aut traumatica.

2°. Venarum affectiones et læsiones :

Hæmorrhagiæ	{	spontaneæ, activæ, passivæ,
		accidentales traumaticæ, aut symptomaticæ,
		truncorum,
		ramorum,
		ramulorum,
Varices	{	capillarium ;
		sine rupturâ,
		cum rupturâ.

3°. Affectiones arteriarum simulque venarum :

Anevrysmata arterioso-venosa,
Anevrysmata per anastomosin dicta.

4°. Vulnere generatim.

5°. Ulcera variæ indolis.

6°. Operationes chirurgicæ (in hocce casu hæmostatica adhibentur vel, operatione nondum factâ, ad prævertendum hæmorrhagiam certe eventuram, vel inter operandum, aut post operationem).

Omnes casus superius enumerati hæmostatica chirurgica mille modis temperata, pro loci et temporis ratione, sequentibus tamen capitulis circumscripta, postulant :

1°. Requiem corporis, tranquillitatem animi;

- 2°. Debilitantia
- 3°. Excitantia ;
- 4°. Adstringentia, styptica et absorbentia ;
- 5°. Compressionem ;
- 6°. Cauterisationem ;
- 7°. Ligaturam ;
- 8°. Torsionem ;
- 9°. Cucurbitulas.

1°. *Requies corporis.*

Requies organorum voluntati obedientium pernecessaria in omnibus hæmorrhagiis activis aut passivis, in vulneribus profundis, et operationibus chirurgicis quæ majora vasa offendunt.

Organorum requies partim voluntati subductorum pariter necessaria, v. g. in vulneribus pulmonum, thoracisque vasorum. Vitantur ideo omnia quæ motum respiratorium concitant; libera sit respiratio præsertim cum sanguis effluit per venas numerosissimas parte anteriori cervicis positas. Nullum hæmostaticum potentius in hocce casu quam respiratio ampla et facilis (monente prof. Dupuytren).

Organorum requies voluntatis imperio minime obedientium, non minus necessaria in vulneribus et hæmorrhagiis viscerum abdominalium, imo primum est remedium.

2°. *Debilitantia.*

Ciborum abstinencia, concitationem circulationis refrangendo, massamque sanguinis imminuendo, indicatur in omnibus fere hæmorrhagiis activis, post læsionem arteriarum, earum imprimis quæ, cavo abdominis et thoracis contentæ, ligaturam non admittunt.

Emissiones sanguinis generales et locales.

Eadem ratione apprime conveniunt, in hæmorrhagiis activis, post vulnera in cavo abdominis et thoracis penetrantia, post quasdam operationes chirurgicas ad prævertendum sanguinis effluxionem, contra

anevrismata interna secundum methodum Valsalvanam. Sæpissi medepletivo modo, alias derivatorio adhibentur.

3°. *Excitantia.*

Prosunt interdum *ingesta alimenta corroborantia*, in quibusdam hæmorrhagiis passivis, dummodo congruenter subministrentur.

Tonica qualia decoctum cinconæ, *refrigerantia* et *acidulata*, quâdam pariter virtute gaudent in iisdem hæmorrhagiis passivis.

Purgantia, tubum intestinale excitando, revulsionem movendo, interdum prospere succedunt in epistaxi et metrorrhagiâ.

Sinapismata, *pediluvia*, *manuluvia*, *frictiones stimulantes*, uno verbo *revellentia* utiliter extremitatibus apponuntur, præsertim in epistaxi, dummodo usus horum remediorum premature non adhibeatur. Notatu dignum est sanguinis effluxionem hirudinum applicationibus succedentem, largiori flumine prorumpi, si cataplasmata sinapi confecta tibiis admoveantur; quod probe retinendum in hæmorrhagiis puerorum.

4°. *Adstringentia, styptica et absorbentia.*

Potus frigidus et *acidulatus* in omnibus hæmorrhagiis activis aut passivis, necessarius. Acidulatus frigido potentior, utiliter administratur, qualis aqua gallice dicta (*eau de Rabel*).

Acetas plumbi, sub formâ pillularum, interne subministrata fuit adversus anevrismata externa, interdum fausto cum successu; sub formâ liquidâ contra tumores anevrismaticas frequenter in usum venit.

Aer frigidus, *aqua frigida*, *glacies* et *nix* ad leves hæmorrhagias debellandas prodesse possunt, interdum hæmorrhagiam arteriarum superficialium perinæi, cohibent post lithotomicam operationem.

Aquæ acidulatæ in iisdem casibus conveniunt.

Malum citreum cortice denudatum, in cavo uteri introductum et digitis compressum, contra hæmorrhagias uterinas suaserunt doctores Eyrrat et Moreau, sed periculosum remedium.

Alumen in hæmorrhagiis capillaribus adhiberi potest.

Chalcanthum quo utebantur antiqui, nunc relinquitur. In hæmorrhagiis levibus post morsus hirudinis exempli gratiâ valet terebenthina resina, etiam utilissima cum obturamento in quorundam hæmorrhagiis vulnerum et post multas operationes.

Igniarium et spongia tantum usitata sunt in hæmorrhagiis levibus; attamen a Morand fertur illa fuisse commodissima post amputationes: professor Dubois, cum ligatura fieri non potest, illis sæpe utitur post tumorum extirpationem. Illa hæmostatica sicut absorbentia agunt in levibus hæmorrhagiis morsibus hirudinum succedentibus; sicut compri-
mentia in cæteris hæmorrhagiis; nam semper deligationibus retinentur.

5°. *Compressio.*

Manu. — Prima est hæc compressio quæ in usu esse possit. Ad compescendum leve sanguinis profluvium plurimum valet; sed ad colli-
bendas quoque copiosas ex arteriis venisve hæmorrhagias utilis esse potest; nec infeliciter aliquando compressa fuit aorta ad vertebrae, manante graviter ex utero sanguine. Manu comprimi queunt arteriæ quæ ossibus applicitæ sunt, et quarum pulsus digitis percipi potest. Sic, inflictis plagis, vel dum fiunt operationes, comprimere in promptu est arterias occipitales et temporales ad cranii ossa, maxillarem externam ad maxillam, subclaviam ad primam costam, brachialem ad internam humeri partem, radialem et cubitalem ad radius et cubitum, iliacam externam ad horizontalem pubis partem, femoralem ad femur, pediosam ad dorsum pedis. Comprimi quoque aliæ possunt, sed minus com-
mode quam illæ quas supra nominavimus. Hæc quam in arteriarum decursu haberi diximus, compressio in sectis vasorum orificiis fit uno vel pluribus digitis, vel totâ manu. Cum arteria in ipso trajectu com-
primitur, curandum semper est ut eligatur locus in quo ossi adjaceat; dignoscendumque extremis digitis in longitudinem arteriæ positis ubi sit, et juste comprimenda est ut ad planum reducatur. Nec vi majori utendum; nam frustra comprimendis defatigarentur digiti. Hoc com-
pressionis genus quod usum multamque curam postulat, si rem succe-

dere voluerimus, longe cæteris præstat; sed ad breve tempus tantummodo adhiberi potest. Ad venas quoque transfertur; quæ autem cum pulsum non habeant, haud facile agnoscitur ubi sint; præterea ad illas comprimendas vicinum sit os aliquod oportet.

Simplici fasciarum apparatu.—Diu beneque comprimitur arteria vel grandis, solâ fasciâ circulari ut in varicibus, vel spleniis in gradum majoribus adjunctis, ut auctor est quidam germanus chirurgicus post amputationes, positus in ipso arteriæ decursus pleniis, sicque cohibito absque ligaturâ sanguinis profluvio. Omnes deligationes vel quæ minime constringunt, ad supprimendam levem hæmorrhagiam valent. D. Loewenhard, ex Prenslau recenter suasit ut morsus hirudinum suturâ agglutinentur ad comprimendam hæmorrhagiam quæ nonnunquam evenit. Unice adhibendæ etiam sunt hæ deligationes in quibusdam vulneribus, cum nullæ ligaturæ fieri possunt, in corporis cavitatibus adactis vulneribus. Inferius superiusque vasorum os comprimi auctor est Lisfranc (et res ei bene cessit) resectâ venæ saphenæ internæ vel externæ parte quâdam in varicosis ulceribus.

Torculari et comprimentibus machinamentis.—Primum in usu fuit torcular, et longo post tempore, J.-L. Petit aliud torcularis genus excogitavit longe præstantius, et quo sæpissime chirurgi utuntur. Deinde reperta fuere varia ad compressionem machinamenta, in quibus plus minusve elucet ingenii. Inter quæ utilissimum mihi esse videtur, vel quod professor Dupuytren, vel quod Columbat excogitavit. Attamen in hoc peccant hæ omnes machinæ, quod non solum vas præcipuum, sed etiam comitantia vasa nervosque vicinos comprimant. Multo levius est hoc incommodum, cum manu efficitur. Anteponendæ tamen sunt digitis machinæ, cum diuturniori compressione opus est, et cum non habet in operatione chirurgus adiutorem cui confidat. Quando uti placet torculari, semper ubi sit arteria, digitis percipiendum, faciendaque est compressio ubi arteriæ os subjacet. Deinceps rite componatur æger, si diutius compressio fieri debet, vel tradatur machina homini qui rem calleat, si in operatione adhibita fuerit. Quæ pro tempore vel constringatur vel relaxatur oportet. His machinamentis quam raris-

sime utendum est. Non semper satis erit superius vasorum os comprimere

Obturatione. — Quum nec vasa aliter comprimere, nec ligaturâ nec cauterio uti licet, tum ad hoc compressionis genus confugitur, quod variis modis comparatur; ad plagas, globuli e linamento, fasciis retenti; ad epistaxim, turundæ cum duplicibus filis, in nares cum fistulâ gummeâ vel Bellocianâ introductæ; ad arteriæ intercostalis læsionem, turunda Gerardi circa costam cum filo traducta, splenium in plagam globulis oppletam intromissum. In uterino sanguifluxu, si aortæ compressio adhiberi nequit, introducatur in vaginam splenium, compleaturque globulis e linamento, et hæc omnia comprimente deligatione in litteræ T formam instructæ cohibeantur.

Peculiaribus ad compressionem instrumentis. — Sunt quædam instrumenta ad singulares casus excogitata; ut *la plaque de Lotteri de Turin* ad comprimendam arteriam intercostalem, *le jeton de Quesnay*; instrumentum a Bellocq inventum quod in Commentariis Academiae descriptum fuit; *pince à patin*; *pince de Percy*; quæ omnia pro tempore usui esse possunt. Satius enim est aliquando post oculum excisum forcipem à *patin* dictum adhibere ad supprimendum ex arteriâ ophthalmicâ sanguifluxum, quam hanc comprimere aut urere.

Solidis fistulis. — Post paracentesim, si quæ arteria læsa fuerit, auctor est Bellocq ut in plagam inseratur parva candela e cerâ, vel frustum e gummo confectæ fistulæ.

Tubulis. — Utilibus maxime post lithotomiam, si læsa fuerit arteria transversa et præsertim arteria pudenda interna.

Conis. — Qui ex variâ materiâ fiunt, cerâ, ligno, spongiâ ad hæmorrhagias ex vasis ossium paratâ. Ad hos conficiendos conos in quibusdam casibus corpora dilatantia anteponenda sunt.

6°. *Caustica adustio.*

Cauterisatio candente ferro usitata est prospere a Severin; A. Paré, Traversa et Guattani, ut in horum medicorum scriptis legitur, non eundem exitum habuerunt; sed illâ solum modo utuntur, tempore nostro, chirurgi cum adhibere non possunt compressionem aut ligatu-

ram : et enim interest omnino necessarium est ferro candente vulnera tangere quæ succedunt operationibus in quibus sanguis largiter et copiose fluit, orificiis vascularibus occultis. Sic videtur post extirpationem quorundam tumorum in ore, in sinu maxillari, post vulnera arteriarum linguæ et dentium alvei.

Quoties ferro candente utitur chirurgicus, ut sequitur aget : eligere cauterium secundum partes urendas et candens; aliquoties anteponendum est ferro cuprum; partibus sanis semper amovebitur instrumentum; cauterium applicatum tenere donec fere omnino extingatur; denique aliquando in eodem loco rursum applicabitur.

Post applicationem hujus cauterii, oportet inflammationem vicinarum partium componere, crustam non tangere et diu servare; sic hæmorrhagiis subsequentibus occurretur. Pars usta in quiete prorsus manebit; convenit aliquando ut curetur simpliciter sed cautissime.

Causticus lapis et solidus.—Olim usitatus nomine trochisci, exempli gratiâ, chalchantum (sulfas cupri), alkalia a plantarum cineribus expressa, nitrosum argentum; hodie rejicitur : utuntur chirurgi nostris diebus solâ nitratis argenti fusi virgâ in hæmorrhagiis capillaribus morsus hirudinum et vulnera levia consequentibus, sed vulgo adhibita est compressio circum vulnus lapide urendum.

Caustica liquida in hæmorrhagiis omnino relinquuntur.

7°. *Ligatura.*

Ligaturæ cannabinæ.—A Galeno, a Celso indicatæ fuerunt. Primus videtur A. Parceus eas adhibuisse. Nunc in usu sunt, simplices ad minora vasa, duplices autem ad majora. Quæ semper cerâ inducendæ et probandæ priusquam applicantur.

Ligaturæ setacæ.—Plus soliditatis leviorisque habent et minus fragilitatis, si setâ albâ usi fuerimus. Simplices duplicesve erunt, pro tempore.

Ligaturæ metallicæ.—In medium allatæ a D. Physic recenterque adhibitæ a D. Levert ex Alabama, qui ligaturis plumbeis, argenteis, per vices usus fuit. Variis experimentis comprobatur abcessus fere semper ligaturis gigni antequam excident.

Ligaturæ animales.—Absorberi putabantur, sed ex factis a professor

Dupuytren experiētiis patet rem non ita se habere. Nullam igitur præ cannabinis ligaturis utilitatem habent.

Ligaturæ hiantibus vasis impositæ. — In vulneribus, in plurimis operationibus necessario adhibentur, sed non sine multâ curâ diligentiaque applicandæ sunt. Chirurgus arteriam ab omnibus vicinis partibus quam accuratissime separatam tenet; ligaturam adjutor traducit constringitque duobus nodis sine ullâ arteriæ tractione. Præterea chirurgi et adjutoris motus optime inter se consentiant oportet. In quibusdam casibus curvis acubus aut tenaculo uti licet; in omnibus magni momenti erit arterias in latis vulneribus majoribusque operationibus præcipue ligari, et non nisi duabus saltem horis elapsis, deligari sæcium. Omni hoc temporis spatio assidebit ægro chirurgus ad liganda vicissim quæcumque sanguinem vasa fuderint. Interdum, si satis adjutori suo confidet, illi hanc curam committet. Plerumque expedit admoveri per glutinantes fasciolas vulnerum oras.

Ligaturæ continuis vasis impositæ. — In vulnere, in anevrysmate adhibentur. Ad varices ulceraque varicosa curanda propositæ fuerunt, sed non sine ægri periculo. Quæ cum truncis ramisque arteriarum præsertim applicandæ sint, hinc aorta, illinc arteriæ non ampliores pediosâ vel temporali ligatæ fuerunt. In omnibus casibus antequam operatio incipiatur, expedit recte memoriâ teneri anatomicam partium dispositionem. Scalpella, forcipes, canaliculatæ fistulæ, in acum forati et flexiles styli, curvæ acus, professoris Deschamps acus cum manubrio, instrumentum ad stringendos nodos a Dubois et Larrey adhibitum, et forceps a Columbat profundis arteriis destinatus, hæc omnia sunt instrumenta quæ usui esse possint; sed plerumque satis erit scalpellum, fistula canaliculata, et stylus. Electo in quo operatio fiet, loco, revocandus erit in memoriâ arteriæ decursus, supra operationis locum compressio faciendâ, incidendæque partes secundum arteriæ decursum. Interdum tamen expedit incisionem obliquam fieri paululum; et eo longior sit oportet quo magis profunda latet arteria. Si in spatio intermusculari posita sit, relaxentur vicini muscoli. Cum ad ipsam ventum erit, a vicinis partibus separetur, nudeturque in parvo spatio, illæsâ

tamen primâ membranâ. Ad id perficiendum adhiberi potest forceps et scalpellum, vel potius extrema fistula canaliculata. Sublevabitur arteria, traduceturque per fistulæ canaliculum stylus in acum foratus, et tanto-pere stringetur nodus ut membranam internam mediamque secet. Alii latis ligaturis favent; noxias esse arbitrantur Jones, Cooper, Travers, Hodgson, Dupuytren et Marjolin, rotundam vero ligaturam esse potiorrem. Suadent alii ut ponantur in expectationem ligaturæ, profuturæ si qua supervenerit hæmorrhagia. Quas nihil prodesse, nocere etiam Hodgson putat. Denique ligaturæ in quibus inter filum arteriamque interpositum est frustum e linteo, sparadrap, vel quâvis aliâ materiâ, a Scarpa prolatae sunt et a Roux semper adhibentur. Consentit Marjolin solummodo de grandioribus arteriis, quæ morbo tentatae crederentur. Præterea non apud omnes invaluit hæc ligatura; et plerique chirurgi potiores esse putant ligaturâs quæ arteriæ, nullo interposito alieno corpore, applicantur.

Ad ligandas venas eadem cura adhibeatur.

Post has ligaturas, multa mala evenire solent, hæmorrhagiæ, abcessus ligaturâ vel aliâ causâ geniti, membrorum gangræna, præsertim quum præcipuus truncus ligatus fuit. His variâ ratione occurritur.

Post operationem medendi ratio.—Glutinâtâ plagâ, ut solent Hodgson, Delpech et Dupuytren, aut non glutinatâ, ut auctores sunt Scarpa et alii, in inferiori parte rite componantur ligaturæ, quarum e filis unum secundum est, relinquunturque donec sponte cadant. Quamvis Travers et Béclard occludi vas sextâ horâ observaverint, quies maxima suadenda est, aliquando minuenda sanguinis copia, illiusque reditus in collaterales per calorem urgendus. Sin hæc quin in posterum superveniant hæmorrhagiæ, non impediverint curæ, ad compressionem aut ad ligaturam pro tempore confugiendum erit. In quibusdam vulnerum casibus attendendum erit an per os inferius sanguis recurrat. Tum huic ligatura applicetur. Denique si supervenerit vel phlegmo, vel erysipelas vel gangræna, propriâ medelâ his occurratur.

Ligaturæ in anevrysmate.—Duæ methodi in usu sunt: in priore ligatur arteria, aperto anevrysmatis sacco; in posteriore, illæso sacco. Ad has duas methodos pertinent variæ agendi rationes.

Prior methodus. — Paulus Ægineta duas ligaturas simul post tumorem traducebat, unam superius, alteram inferius, saccum aperiebat, vacuabat, et quidquid erat inter duas ligaturas excidebat.

Aetius multum supra tumorem arteriam ligabat, duas ligaturas applicabat, vas inter duas secabat, deinde tumorem aperiebat, vacuabat, osque superius et inferius ligabat.

Guillemau primum, deinde Keisler anno 1644, saccum nudabat, supra ligabat, deinde aperiebat. Prius torcular supra tumorem applicuerat.

Guattani et Mazotti ligaturam supra tumorem huic operandi modo addiderunt. Guattani auctor fuit ut non nisi duabus ligaturis positis tumor aperiretur.

Recentiores chirurgi qui hanc priorem methodum adhibent, arteriam supra tumorem comprimi jubent, cum scalpello lente ad saccum accedunt, caute aperiunt, sanguinis globos evacuant, stylum in os superius introducunt, ligaturam stringunt super hoc stylo, extractoque eo alterum nodum faciunt. Ad os inferius haud aliter agitur. Non agglutinantur plagæ labra; suppurationi permittitur; deinde ea curatio adhibetur quæ ligaturis propria est.

Posterior methodus. — Anel, anno 1710, unam ligaturam supra tumorem, illæsum quidem, fecit. Hæc operatio diu neglecta, in honorem a Desault, anno 1785, reposita fuit. Hunter, eodem anno, multas ligaturas supra tumorem applicuit; brevi multiplicibus ligaturis valedixit, et unam applicare satis habuit.

Hæc methodus fere ab omnibus accepta curam eandem poscit quam superius indicavimus ante, per et post operationem. Favendum præterea est tumoris discussioni per generalia medicamenta et localia, quietem, diætam, sanguinis missiones, frigidas applicationes.

Ligatura funis umbilici. — Accurate facienda est hæc ligatura quæ, ut in omnibus cæteris ligaturis, funis umbilicus filo cerato et constricto circumdatur. Si congenita existit hernia, ligari non debet intestinum. In multiplici graviditate convenit non solum ut constringatur pars funis umbilici quæ puerum contingit, sed aliquando pars quæ mulierem. Tar-

dus vel citius, pro circumstantiis, alligandus est funis umbilicus postquam resectus fuerit, duobus unciis interjectis. Licet aliquando ligaturam facere ante rescisionem.

8°. De Torsione.

Arteriarum, venarumque torsio. — A numerosis malis ligaturâ allatis, inducti fuerunt chirurgi, ut viderent an istâ methodo abstinere possent?

Ad exemplum ferarum quæ dentibus, et ipsius in incultæ naturæ statu mulieris quæ ope saxi funiculum ombilicalem contundit et incidit, attritu, in arterias profunde in vulneribus reconditas chirurgi summi ingenii usi sunt : hanc methodum veterinarii ipsi adoptant in animalium castratione, etc. Hic autem notandum, potius extensionem esse quam torsionem, ut in membrorum diris avulsionibus accidit.

Barbaris illis, et non detrimento carentibus modis, jamdudum notis, ut meliori methodo similes effectus quærerent adducti sunt chirurgi. Quod diebus nostris factum est.

Doctores Thierry et Amussat dediderunt diversos modos in arterias torquendi ratione.

Is doctor Amussat methodus : Post plurima tentamina eo pervenit : ita ut arteriam aut arte, aut casu cæsam forcipe facile claviculo fixâ, arripiat; a nervis, vasis, et fibrillis circumstantibus liberet; a superficie partium 5—6 circa lineis elonget; et tum supra alterâ forcipe teretibus mandibulis instructâ, apprehendat; premendo tunicas mediam et internam secet; deinceps cellulosa solum teneat vaginam, et ejus liberam partem 5—7—10 in gyros agat primæ forcipis ope, hoc modo, cucullam, coagulum cruoris morantem, formet cujus ope os vasis clauditur, et coagulum vias organisationis ingreditur.

In equis, canibus, etiam in homine, mortuis et vivis, cum successu comprobavit inventionem.

D. Thierry duos modos proposuit :

1°. Arteriam arripit unâ forcipe Percy et 5—6—10" torquet.

2°. Arteriæ acum Deschamps submittit et torquet pluribus aut paucioribus vicibus, pro arteriæ volumine.

Doctor Velpeau apud hominem quoque torsionis operationem aliquoties fecit; hoc modo agit: arteriam opertam forcipe arripit, a nervis, vasis comitantibus illam cum alio forcipe liberat, arteriam transverse apprehendit et cum primo forcipe in gyros 5—6 agit. Hâc methodo hic chirurgus successus probatos obtinuit.

Longius a me ut iudex prioratus in inventione videar, ut de merito torsionis ipsius voce firmâ conclamem. Nihilominus dicam—Constat : 1°. Hâc agendi novâ ratione vitantur corpora extranea, quibus extemporanea vulnerum clausura impeditur; 2°. chirurgus solus, absque adjuvantis auxilio, medetur. An ille modus aliis agendi rationibus securior in hæmorrhagias? An ad consecutivis morbis præveniendum aptior? Quod experientiæ vi comprobandum est. In hoc rerum ancipite statu, data a D. Amussat, ut magis arti chirurgicali idonea, præferentiam consequitur agendi ratio.

9°. *Cucurbitulæ.*

Cucurbitulæ quibus utimur ad augendam sanguinis fusionem, vel post scarificationes, vel post hirudinum morsus, nuperrime indicatæ sunt in hæmorrhagiis a doctore Ridolfo del Tacea Liburnensi. Si ex uno morsu hirudinis defluit sanguis, unâ cucurbitulâ, si ex multis, pluribus utitur: abundat sanguis, coagulatur, deducitur cucurbitula, sed accuratissime servatur sanguinis globus qui tardius labetur. Si rursum affluit sanguis et globum expulserit, rursum applicantur cucurbitulæ.

Sed hæc agendi ratio quæ secundum doctorem Ridolfo bonum exitum habuit, conveniret, cum refert subito hæmorrhagiis occurrere? Non prudenter adhiberetur, ut nobis videtur, apud ægrum debilitatum et periclitantem cui, ut vulgo exemplum afferunt pueri, mortem affert unius hirudinis morsus.

CONCLUSIONUM SUMMA.

Ex his breviter narratis inferri potest :

- 1°. Requiem generalem vel unius partis corporis esse primo observandam, quæcumque sit hæmorrhagia, vel truncorum, vel ramorum, vel capillarium;
- 2°. Debilitantia medicamina omnino necessaria, in hæmorrhagiis activis, utilia in quibusdam quæ armis producuntur et in anevrysmatibus; sed contra nocentia in hæmorrhagiis quæ debilitate fiunt;
- 3°. Excitantia presertim esse commoda in hæmorrhagiis activis derivationem factura, similiter in passivis, variis modis usitata;
- 4°. Styptica et absorbentia utiliter applicata in hæmorrhagiis tantum capillaribus;
- 5°. Compressionem esse magis vel minus utilem in omnibus circumstantiis nisi stabilimentum desit; sed sæpè nocentem, diutius productam;
- 6°. Cauterisationem applicari tantum posse cum cætera experiri nequit chirurgus, quamquam in hæmorrhagiis magnorum vasorum sit impossibilis;
- 7°. Ligaturam pro statu scienciarum tutissimam esse rationem in omnibus arteriarum hæmorrhagiis si accomodari potest; sed contra in hæmorrhagiis venarum anteponendam esse compressionem;
- 8°. Torsionem paucis abhinc diebus usitatam non satis cognosci ut de illâ judicetur;
- 9°. Denique cucurbitulas tentari non posse indistincte in omnibus hæmorrhagiis morsus hirudinum consequentibus.